



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Auicula ei videtur diuinitus præbita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

tur. Nimirum ex longa totius vitæ disciplina tantæ sibi virtutis assuetudinem fecerat, planeq; corpus redegerat in animi potestatem. Erat cibus de communi fere toti Collegio, isq; vnus omnium arridebat suauissimè: nec vt præparcū suum vnquam excederet modū, poterat impetrari: multo minus vt indicaret eccuius nominatim rei desiderio teneretur. Quo tamen in genere cum diutius prope vexatus tandē auiculam nominasset, euenit, vt eo die nulla nec aliunde, nec in foro venalis reperiretur. Sedebat ergo die iam præcipiti frater in cubiculo mœrens, quod postquam a deo bonum Patrem percunctando obtuderat, eius semel cognitę voluntati gerere morem nequiret, cum repenti inuolat per fenestram auicula, & facillime capi se finit. Eam velut diuinitus missam lætus coxit, Patriq; dedit. Quam is vbi comedit, laus Deo inquit, quam opiparam cœnam hodie habui? nec præterea quicquam attigit in ea cœna. Ceterum tota eius ratio vescendi continens videbatur oratio. Ad singulas buccellas, & forbitiunculas, vel Deum, ac Christum Iesum, vel cælestium aliquem inuocabat, à signo Crucis exordiens, & in SS.<sup>ma</sup> Trinitate desinens. Quæ faciebat

*Auicula ei dicitur diuinitus præstita.*

bat adeo placide, occulteque, vt nisi quis attente animum aduerteret, non sentiret. Nimirum fructus hi quoq; in extrema ætate, ac semiuiuo iam corpore ex contracto iam sensibus integris, & confirmato vsu, vt pasceret animū semper magis, quam corpus. Inde etiam fiebat, vt omnia probaret, ac magnificaret: & quicquid esset appositum, vbi ritu suo per inediam esset refectus, subiungere ad extremum consuesset; Deo gratias, quam lautè vixi?

Ieiunium illi quotidianum videri poterat, tamē etiam tum singulari obedientia imperatis ab Ecclesia parebat ieiuniis, & aliquid afflictationis alterius superaddebat, inuisentes quoq; ad spirituale ieiunium inuitans: vixq; proxima suæ morti quatuor temporum ieiunia adduci à Confessario, ac Rectore potuit, ne se uere perageret. In huiusmodi enim rebus obedientiæ vnus permouebatur impulsu, nec nisi cunctanter. Flagellum etiam num occultissimè asseruabat: quod cū forte esset repertum, sublatumque, ægerrime id tulit: multumque, sed nequicquam institit orans, vt redderetur. Adeo afflictandi exterioris hominis vix iam spirantis in interiore perseuerabat impla-